

Biblioteca  
ASTRA, Sibiu

P.C.N. 12


05

S. IV 2092

13

Q 3 56  
P  
r





DAPHNIS PASTOR,

S E U

S. XAVERIUS

Philosophorum Patronus

*Per Apostolicos vitæ suæ labores*

SACRIS ECLOGIS

*liber Celebratus*  
*ET*  
*HONORIBUS, enfi*

Illustrissimorum, Perillustrium, Reveren-  
dorum, Religiosorum, Prænobilium, Nobilium, ac  
Eruditorum Dominorum AA. LL.  
& Philosophiæ

NEO - MAGISTRORUM,

*Dum per*

R. P. LEOPOLDUM GALLER,

è Societate JESU AA. LL. & Philosophiæ  
Doctorem, ejusdémque Professoremeritum, nec  
non inclytæ Facultatis Philosophicæ Senioremm  
Con-  
sistorialem

Supremâ Philosophiæ Laureâ ornarentur,

Ab

*Illustrissima, Perillustri, & Prænobili*

*Suada Viennensi inscriptus.*

*Anno Salutis M. DCC. XIX. Mense Augusto.*

Viennæ Austriæ, Typis Mariæ Evæ Schmidin, Viduæ.





3319

Illustrissimi, Perillustres, Revere-  
rendi, Prænobiles, Nobiles, ac  
Eruditi

DOMINI DOMINI  
NEO-MAGISTRI.



*Immunusculum nostrum non de externa specie, sed interno pretio judicaveritis, majoris, ut equidem credimus, aestimabitis conatus nostros, & laborem probabitis, non nisi Nomini vestro, & ampliandis per orbem honoribus devotum.*

Magnum damus Xaverium Indiarum Apostolum, Philosophiæ Vestræ Presidem; quem cum singularis quibusdam Pietatis solenniis quot annis semper ardentis veneramini, tum gaudetis, opinamur, ab aliis etiam celebrari affectu, voce, calamo, atque celebratum in honoris vestri anathema offerri. Illud tantum displicuisse vobis potest, quod Heroem tantum non nisi de rure assumptis flosculis decoratum proponamus. Videlicet non tam, quod instituto dignum opere, sed quod tenuitati nostræ consentaneum est, spectavimus: nec tam ad admirationem excitare factorum Xaverii per orationis Majestatem, quam ad jucundam quandam impellere imitationem, suavemque delectationem animi per buccolici delicias carminis, quæ justis rerum aestimatoribus hoc in genere sunt gratissima, legentes Vos curavimus. Addidimus Poësi huic amulas Apellis manus; non ut de nobis credatur, quod vulgò circumfertur adagio, pictoribus, atque Poëtis cuncta licere: sed ut pervolentium oculos, animosque à lectionis ardore ad propositi lucem emblematis divertamus, atque sic eò paratiores ad percurrendum reliquum spatium reddamus. Dum autem in Luna Magnum Xaverium adumbramus, id nobis consilii est, ut, quoniam subinde Magno Filio Majorem Parentem Ignatium adjunximus, cujus instinctu tam proficua orbi terrarum hæc Luna fuit, cujus à nra

à nitore aureo omne luminis argentum traxit, haberemus Solem, cuius sequitur vestigia Luna nostra; cuius frugiferos per Europam labores in terra opposita adaequat: Sola scilicet Solem, Xaverius Ignatium, Parentem Filius in revocandis ad veræ fidei lucem gentilibus non minor Thaumaturgus. Quo in munere quàm vigilantem egerit animarum Pastorem Daphnis Divus hic Indiarum Apostolus, vel paucula hæc ejus facta, quæ in præsentiarum sub agresti schemmate proponimus, affatim commonstrant: quid proinde mirum, si sacratiorem odium Magistrum desumptis à rure laudibus, & sylvestri meditamur avenâ, si felicem animarum curâ non tam resonare docemus Daphnida sylvas, quàm paullò majora canentes ad vestri etiam theatra Honoris calamo ludamus agresti; quæ si cum Poëtarum Principe sylvas dixerimus, sylvæ hæc non tam sunt, Consule, quàm Philosophis neo-Doctoribus dignæ. Accipite ergò benignis oculis, animisque faventibus opellam hanc nostram: nec despiciate tenuitatem carminis; accedit huic à vestra benevolentia pondus non minimum, si nimirum Vobis nostra carmina curæ, si à vobis principium Mulsæ nostræ, ac exitus deducatur. Quod dum facitis, ampliori nos vobis beneficio obstringitis, & efficitis, ut post Xaverium Honori Vestro statuamus aras, quas deinceps sæpe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus; denique apud nos, ut Magni Indiarum Apostoli, ità quoque Vester semper honos, noménque novum, laudésque manebunt. Valete, & favete

Honoribus Vestris

Studiofissimæ

Suadæ Viennensi.





**M**agno res magnæ egent molimine. Non dies, aut men-  
 ses, verùm annos exhaustit, ut ad majestatem excre-  
 sceret orbis caput, Roma. Decennio victorum lassavit dex-  
 teras Troja, donec victa succumberet victoribus. Non ver-  
 bis, sed concione opus fuit, ut victrici Loyolæ facundiæ Xa-  
 verius, sui tandem Victor gloriosus cederet in victoriæ mo-  
 numentum. Philosophus erat Parisiensis Xaverius; Hunc  
 sublimè philosophantem felix oppugnator feliciter expu-  
 gnat Ignatius, & haustam è Cælo Christianæ perfectionis  
 edocet Philosophiam, tantò gloriosius, quantò amplius Mu-  
 sa nostra Utriusque devota honoribus, in laudes vocalis am-  
 bit assurgere. Neque eum edocet tantùm, verùm è vento-  
 sis Peripati Spelæis ad illius traducit pascua, qui pascitur  
 inter lilia: quæ neque cornigeræ morsu læsere ju-  
 ve-

vencæ, nec carpistis oves, hirtævè capellæ. En vestræ, Athenæ! porticus floridas commigrârunt in eremos, quando cum Xaverio Sophia vestra ad illa transit septa beatissima, ubi nunquam solum sterilescit animæ, sed nitidæ semper surgunt fruges, ramique virentes. Mirum est, qua usus sit, ut ad sacrationem manuduceret, Philosophiâ Ignatius; verba certè æternæ vitæ habuit. Quid prodest homini, ingeminabat identidem, esse peritum, & tamen perire? Quid dignitatis fastigia, quid honorum apices suspicis? Excelsis prærupta adjacent, & lubrica est statio, cùm per pendula, & præcipitio proxima ambulatur. Quid aureum Gangis decus, quid Pygmalionis arcas, quid talenta Pelopis ingeris? aureum dives mancipium est. Habetur à divitiis, quas habere se falsò autumat. Non dives ille, qui multum possidet, sed qui nihil desiderat. Maximæ nobis, divitiæ sunt tenuisse illum, in quo infinitus est thesaurus. Mundi gaudia porrò quid? diffugiunt celerius, quò captantur avidius; brevi risu longa fastidia nundinamur. Tam potens fuit hæc Philosophia, ut, dum blandè Xaverium corrigeret, cor regeret; dum suaviter corripere, cor raperet. Quid mirum? Filius sequitur vestigia Patris.

## ECLOGA PRIMA.

In qua sub persona Jugintæ Ignatius suadet sub figura Daphnidis S. Xaverio in eundam solidæ Virtutis viam.

*Jugintas, Daphnis.*

*Jug.* SYlvestrem nondum Daphnis meditatur avenam?

Non patriæ fines, non magni nominis urbes

De-

Deservisse juvat : quid denique lentus in umbra  
 Perdis Daphni dies? desertas pasce capellas  
 Monte sub hoc : sint claræ aliis cum civibus urbes,  
 Pasce pecus Daphnis ! te limpida gaudia ruris  
 Invitant, riguïque vocant è collibus amnes.  
*Daph.* Vilescunt animo villæ ; plus Regia spondet,  
 Quàm bene cultus ager : tugurî tu pauperis hospes,  
 Vilia tecta colis ; Pario mihi marmore surgunt  
 Mentoris arte lares. Stratum tibi sternit egestas,  
 Aut præbent graciles vicino è flumine junci :  
 Fessum mulcet olor, prolestat multa soporem  
 Pluma mihi. Quoties malè fartâ conderis æde,  
 Cui nitor omnis abest : arrident splendida tecta,  
 Auratæque fores, picturatique Penates,  
 Rura colant alii : turrata palatia Daphnis.

Comp.

*Antonius Josephus L. B. Graan.*

*Jug.* Sint aliis urbes, sint & regalia tecta,  
 Rura colat Daphnis : rura hæc sunt Numine plena.  
 Grande Dei donum est, superisque æquanda voluptas  
 Agrestes coluisse casas, & simplice cultu  
 Exigere in fontis tranquilla silentia vitæ.  
 Hic sincera quies, innoxia gaudia degunt.  
 At cum marmoreis surgunt suffulta columnis  
 Atria, mille metus fervent, curæque sequaces  
 Securos in pace vetant habitare Penates.  
 Quid fragiles sectaris opes ? candorque, fidésque,  
 Exulat & pietas, vetum popularibus auris



Infidâ cùm fors quemquam statione locavit,  
 Rura colat Daphnis, non septas moenibus urbes.  
*Daph.* Rura colant alii, sed limina Daphnis eburna.  
 Me tituli, magnique notant me nomina censûs,  
 Et fasces, ostrumque gravat; decernit honores  
 Pallas, & emeritis incingit tempora lauris.  
 Est rude Pastorum vulgus, tondere capellas,  
 Cogere palantes pecudes, aut flectere juncos,  
 Nunc fucos arcere graves, prohibere timendos  
 Dente lupos, tristemque luem remove re mapali  
 Hoc opus, hic labor est: mihi dulcis gratia fandi  
 Suppetit, & Sophiæ non tracto inglorius artes.  
 Rura colant alii, Sophiæ colo limina Daphnis.  
*Jug.* Rura petat Daphnis, non altas turribus arces.  
 Et ruri sua Musa favet; certamen id unum,  
 Quis cœlum, & superos meliori carmine flectat:  
 Tristibus hic Elegis vocalia marmora reddit,  
 Populeis alius describit carmina truncis,  
 Atque omni sonat ore melos, sonat aura camænis.  
 Hic plaudunt volucres, hic fons argenteus errat,  
 Irrigui saliant per consita germina rivi.  
 Atria clara petant alii, cole Daphnis ovile.  
*Daph.* Pinguia rura petant alii, quos rustica mater  
 Edidit, atque rudes genitor produxit in artes,  
 Sors me læta vocat: modici te cura peculi  
 Vix tenuis dextram cultura fatigat agelli.  
 Durus gleba labor, pluviae, ventique, hyemisque,  
 Frigus, & ardores, grando, immitisque pruinae,  
 Et messis delusa, ea sunt solatia ruris.  
 Haud unquam lautæ pellunt jejunia mensæ,



Pifa, fabæ, miliúmque recens, ac furfure mista  
 Sæpe Ceres, & fumifero malè cocta camino,  
 Arcet perna famem, sunt hæc bellaria ruris.  
 Coena mihi melior, turgent carchesia Baccho,  
 Conditásque dapes moscho, crustísque zibetthi  
 Mensa parat, varias tellus peregrina ministrat  
 Delicias, ornátque dapes, nova dona palato.  
 Rura petant alii, me tecta superba reposcunt.  
*Jug.* Claros lingue lares, te poscunt otia ruris,  
 Fundet humus, facilísque dapes apponet inemptas,  
 Et venâ saliente sitim sedabit anhelam,  
 Non mortem argento, non toxica potat in auro,  
 Qui liquidis labra mulcet aquis: sylvestria miti  
 Germina dulcescunt fructu, nec parcior Ilex  
 Mella pluit, pomis autumnus turget, & uvis.  
 Prolixas exclude dapes, cape munera ruris.  
*Daph.* Ruris ament tenebras alii, me rostra requirunt,  
 Clamosúmque forum, digníque Alcide labores.  
 Jam famulas mihi quisque manus, cultúmque propinat  
 Officiosa cohors; populorum submovet undas,  
 Atque latus cingit series numerosa clientum,  
 Et Pallas me grata colit, Daphnæa coronant  
 Serta comas, memorésque canunt præconia fasti.  
 Sors fulget locuples, fulvóque opulenta metallo  
 Arca flagellat opes; non aurea munera parco  
 Infundit fortuna sinu, beat ubere censu.  
 Rura petant inopes, me sortis dona faventis,  
 Dignáque deposcunt Atlante negotia Daphnin.

Comp.

Ignatius Hoffmann.

*Jug.* Ut quid fucato ludis te Daphni colore?  
 Quantumvis cœli caput ad fastigia tollas,  
 Aurea dona Tagi, rutilas Gangetis arenas,  
 Gemmiferumque maris tua congerat arca tributum,  
 Quanquam vota Midæ superes, & Apollinis artes,  
 Ac laurus te multa gravet: licet orbita mundi  
 Sit subjecta tibi, geminus te Phœbus adoret,  
 Et gentes tua jussa tremant, quid frugis, opisque  
 Dextra superba capit, scelerum si mersa barathro  
 Mens gemat, & tristi præceps ad Tartara lapsu  
 Daphni ruas, Erebiq̄ue æternum carcere plagas.  
 Rura pete, Elysiæ ut tendas tutus ad oras.

*Daph.* Jungo manum, celeremque gradum sociabo  
 Juginta!

Te Duce rura petam, per roscida prata bidentes  
 Pastor agam. Quid vota moror? nil amplius opto,  
 Votorum Summa est ovium cultura meorum.  
 Te modo stringo ducem, mea gaudia stringo Ju-  
 gintam;

Flores temnit apis, rorémque exosa cicada  
 Ante erit, ac istis divellat Daphnis ab ulnis,

Comp.

*Petrus S. R. I. C. Coronini.*



**V**icit Xaverius, atque ita vicit, ut Pharsalico Herdē major evaderet, dum mentem certaminis arenam constituit, ex qua gloriosus sui triumphator semet gloriose duceret in triumphum. Celebrent alii, per me licet, agros cruore naufragos, campos cædibus rubentes, & inhumanā lanienā famosas victorias: gladii illa lucra sunt, non virtutis; furoris trophæa, non fortitudinis præconia. Admirandæ sæpius, non imitandæ sunt manubiæ, quas armata furore dextera ostentat. Orbis domitores Macedones, famâ inclytos triumphatores Cæsares, Carthaginiis eversores Scipiones avido cruoris gladio debellasse, illustre quoddam esse potest genus victoriæ: illustrius tamen, ausim dicere, incruentam de se lauream mereri. Et si septem unâ hasta suspendas viros, & medios inter hostes non pugnam, sed stragem edas; inferior tamen illô es, in quo victor animus pulcherrimâ sui victoriâ detriumphatur. Vincere enim,



se ipsum, si Platoni credimus, omnium victoriarum prima est. Sed quorsum hæc mecum ita disputo? Te laus ista petit, magne tui Victor, & uno mundò major Xaveri! Elegit te, postquam te tibi subjecisti, ex sapientiæ Lycæo Ignatius Pan ille melior, cui non Mænala, sed Ecclesiæ pascua curæ, atque in pastorem ejus, qui curat oves, oviúmque magistros, cooptavit. Hoc in ovili, Daphnidis sacratoris obiisti munus eâ vigilantissimi pastoris vigiliantiâ, ut gregi non tam præesse, quàm prodesse semper videreris. Pulchrè hîc de te illud Mantuani Vatis: **formosi custos pecoris formosior ipse.** Oviculas infesta mali ingruentis lues nè corripere, centoculò Argò oculatior præcavens, pluribus serviendo plures servâssi. Hinc Encomiaste dignissimum illud facinus, quod orbis quidem semper, pro dignitate tamen nunquam satis demirabitur. Ades oviculæ scædissimi ulceris tabe probè depastæ, atque, ut in cæteris omnibus, tum verò in hoc luculenter pium te Daphnidem probas, dum fluentem exsugis saniem, ut sanaretur ipsa, Tu verò vorantem luem devorares. Et quamquam ulcera nil propriis scabiosa relambere lingua durius sit, hæc tamen sugens superùm nectar & mella thymo fragrantia libare te palàm fecisti. Nimirum agere fortia, non tam Romanorum est, quam tuæ proprium virtuti, quæ niveum dat visa decorem.





ECLOGA SECUNDA.

S. Xaverius gloriosus sui Victor sub  
 figura Daphnidis ovium lui medentis ab  
 ægroto saniem exfugit.

*Menalcas, Corydon, Mopsus, Tityrus,  
 Mæris, Melibæus, Daphnis.*

**Æ**stus erat, nullasque dabat sitientibus agris  
 Deplus imber aquas; non mollior aura  
 favori

Perspicuos crispas latices, non undat arista,  
 Riparumque thori fessis viridantia membris  
 Strata negant: nullo vocales carmine sylvæ,  
 Garrulus haud usquam resonabat rivulus undæ.  
 Alta quies nemorum, facies tristissima ruris,  
 Exhaustumque pecus quatiebat corda dolore:  
 Ingens Pastorum sensus hebetaverat horror,  
 Dum quisque in tragicas sua solveret ora querelas:

*Menal.* Quæ vos plaga ferit, mea spes, mea cura, ca-  
 pellæ?

Quid patriis agnus graditur macilentus in arvis?  
 Nec jam bina die felix ovis ubera siccatur?  
 Non nive lana micat; non pressi copia lactis  
 Ditat inempta penum; mulcralia pulvere sordent.  
 Torquet plaga pecus; Pastores tristis egestas.

*Coryd.* Quæ vos lepra premit, mea lux, mea vita,  
 capellæ?

Horrida quæ scabies per lactea corpora serpit?

Laxa cutis pendet, non ullo vivida succo  
 Torpent membra, imis prope jam sedet hausta me-  
 dullis,

Pérque artus fundit reliquos contagio virus.  
 Febris oves maciat; jejunia longa magistros.

*Mops.* Quæ vos noxa gravat, dulcissima turba, Ca-  
 pellæ?

Hirsuti laniant juvenilia corpora vepres,  
 Carpit & invisis paliurus vellera spinis,  
 Vellera discerpit niveis argentea villis,  
 Et spodium lanæ pratum cupit omne referre.  
 Urit spina pecus; Pastores mille dolores.

*Tityr.* Quæ vos pestis habet, placidæ, mea vota, Ca-  
 pellæ?

Quæ scabies errat membris, & cæca profundit  
 Toxicæ? quid diro bacchantur capta furore,  
 Ignorântque armenta Duces, rabidóque dolore  
 Percita, funesto properant in funera casu?  
 Sæva lues depascit oves; nos cura, pavórque.

*Moer.* Quæ vos culpa tenet, mihi sarcina grata, Ca-  
 pellæ?

Non queror creptas pretiosas vellere lanas:  
 Quod latet arcano tectum sub vulnere virus,  
 Dissimulata lues, quæ nondum crevit in ulcus,  
 Percellit tacitâ nostram formidine mentem.

Cœca venena pecus; nos cœca pericula perdunt.

*Melib.* Quæ pars peste vacat, mea spes longæva, Ca-  
 pellæ?

Multa sub innocua pestis latet abdita pelle,  
 Et turgent aconita fibris, nutritque venenum,

Quæ

Quæ pallet livore cutis ; jam viscera sensim  
 Dira lues penetrat : medicam quis ferre Machaon  
 Tentet opem, certámque paret Podalirius artem ?  
 Ægra armenta gemunt ; noster ferit æthera planctus.

Comp.

*Ernestus de Crollolanza.*

Conscia dum querulis ita vocibus astra fatigant,  
 Et pleno fundunt lacrymarum flumina rivo,  
 Auctior Eridanus subitis ut curreret undis ;  
 Daphnis amor nemorum vicino è monte redibat  
 Os, oculosque DEO plenus : solatur anhelos  
 Alloquio socios, cùmque ora natantia fletu  
 Cerneret, exquirat trepidi argumenta doloris.  
 Hæc inter lacrymas fundebat verba Menalcas.

*Menalc.* Sunt sua, sunt corvis, sua sunt medicamina  
 cervis.

In Pyliam vitæ producere fila senectam  
 Corvus amat, longéque arcet fera spicula mortis,  
 Et promptam cervo præbes dictamne medelam,  
 Ut primùm volucris se plangit arundine læsum.  
 Nulla meæ, quod miror, ovi panacæa medetur.  
 Quid meruistis oves, nova quòd contagio fibras  
 Permeet ? haud satis est niveam deglubere lanam,  
 Arcanis sedet atra lues suffusa medullis,  
 Ulcera plena tument, tacitòque imbuta veneno  
 Armentis sanies præsentia fata minatur.  
 Pestis cæca pecus ; stabilis nos conficit angor.  
*Daph.* Quid roseas pia turba genas, intonsaque fletu

Ora



Ora rigas? teneri non ultima cura bidentes  
 Numinis existunt; quod si pecus ingemat ægrum,  
 Et diuturna lues per tabida corpora serpat,  
 Admover artificem cumulata in vulnere dextram  
 Provida cura DEI, pestem, fontemque veneni  
 Dum penitus tollat fibris, quassata dolore  
 Membra levet, pecorique salus affulgeat ægro.  
 Nostra DEO conjuncta manus quid possit, & ausit,  
 Ista dies pandet: cûi ulcere plurima pestis  
 Innatat, exsudans nocuum de vulnere virus,  
 Prome pecus; grandes mens hæc assurgit in ausus,  
 Haud opus est ferro, summa à radice revulsum  
 Ut cedat lethale malum, quam dextera promptam  
 Ferre nequit, tribuet victrix hæc lingua medelam.

Versat corda stupor, suspensis auribus adstant,  
 Et varios volvunt agrestia pectora sensus:  
 Diverso rumore fremunt, & quilibet ardet  
 Daphnidis insolitas artes spectare medendi,  
 Interea toto sanies cui fœda fluebat (ror  
 Corpore, stringit ovem Daphnis; non Pannicus hor-  
 Membra quatit, placidas ægram complexus in ulnas,  
 Ulcus ubi deforme sedet, blanda admovet ora,  
 Sorbillansque luem, tumefactis toxica fibris  
 Exhaustit, dum imis sanies possessa medullis  
 Ore natet, testis liquidus victricis amoris.

Hinc spes, inde pavor, stupor ingens, & tenet  
 horror,

Cernere queis licuit præcelsum robur amantis.  
 Et pecus obstupuit, quanquam rediit vigor olli,  
 Ac nova depastæ succrescant vellera lanæ.



Ut primùm Daphnis victorem sensit amorem,  
 In majora ardet certamina surgere pectus ;  
 Cùmque sui victor toto claresceret orbe,  
 Qui fuit orbis amor, cœpit stupor orbis haberi.

Comp.

*Franciscus Sachers.*



**U**T pro Vate, quò nil Græcia majus habet, pulchro  
 inter se ambitu ternæ olim contendebant civitates ;  
 ita hodie pro Christiani orbis Thaumaturgo Xaverio Gen-  
 tes & Regna gloriosâ contentione decertant. Hispani In-  
 colæ civem dicunt esse suum, Franci suum vendicant, Italiæ  
 populi

populi repetunt. Animum ad sublimia natum dedit Iberia, & celso delapsum munus Olympo gremio suo excepit. Ab hac Parente eas indeptus est, quas deinde in vastissimis Orientis Regionibus dispersit cum Sole manus. Sed en! Francia interpellat: pulchrius multò est parari nobilem, quàm nasci. Nobiles cunas dedit Navarra; excelsis ingenii dotibus ancillari visa est Gallia, dum scientiis, atque disciplinis excoluit animum, cui unus postea non sufficeret orbis. Habet & Italia, unde jure optimò Thaumaturgum sibi optimum expetat, cujus prodigiosam dexteram prodigè sæpiùs experta, quid pro sanctissimis moribus aliud, quàm amores rependat, non facilè reperit. Testantur studiosissimos clientis minimæ in Tutelarem maximum affectus sine numero ædes, & aræ, quas ampliando Ejus honori profusâ gratitudine eligit, & erigit; dotat, & ditat: quia nimirum Ejus magisteriò facta est discipula probitatis, quæ in schola Christi diu fuerat alumna teporis. Ita æquo ubique Marte pro tanto viro certatum est. Illic quæ de re literaria optimè meritus; isthïc quæ Filius à parente; parte denuin alterâ quæ Parens à Filia sollicitatur. Quid agat in tam justa æmulationis provincia Provinciarum nobilissimarum trias? Eò vota omnium conspirare tandem communibus suffragiis voluère: eat Maximo Auspice Numine magnus Xaverius! infundat animabus peccato immortalis animas, & Indiarum nocti diem inferat Titan auspiciatissimus, ut cæcutientes in tenebris Gentes tenebras tandem suas agnoscant. Hæc illæ; simulque dum gemitu, ac singultu interclusum cum voce Spiritum sentiunt, obmutescunt, cogitantes: Pretium distando facit.



# ECLOGA TERTIA.

S. Xaverium in Indias abeuntem sub  
 persona Daphnidis prosequuntur suspiriis  
 Lycidas, id est, Gallia, Thyrsis, seu Italia, & Palæ-  
 mon, seu Hispania.

*Lycidas, Thyrsis, Palæmon.*

*Lyc.* **O** Quàm triste parat, Thyrsis! tua carmen  
 avena?

Fistula quid stridet moesto clangore cicadis  
 Æmula? non ovibus gramen, non fontibus umbra  
 Deficit, aut pecori certissima fata minatur  
 Sæva lues; non dente ferox perrumpit ovile,  
 Et cladem molitur aper, non fulva læna,  
 Aut lupus immani deposcit gutture prædam.  
 Ut quid tristè sonat cæca sub valle cicuta?

*Thyrs.* O Lycida, Lycida! quam in caligine degis,  
 Ut lateat fugisse mei solatia ruris,

Daphnida? noster amor peregrinas Daphnis ad oras  
 Hesperiaë procul orbe volat. Sensere Napææ,  
 Et celerem flevère fugam; pecus omne frequenti  
 Balatu insequitur, trepido vestigia gressu

Daphnidis indagans. Lugent oviúmque magistri,  
 Et densos inter frutices, nemus inter opacum  
 Sæpe dies longis consumere fletibus ardent,  
 Et lacrymis cupiunt medicinam ferre dolori.

*Palæ.* Triste satis grando, flaventibus imber aristis,  
 Triste rosis murmur Boreæ, nascentibus uvis



Fæta pruina gelu, sed multò tristior illis,  
 Quàm Patrio de rure fugam, mea, Daphni! voluptas,  
 Unus amor Daphnis patriis meditatur ab agris.  
 Gloria tu Pindi, Clarii tu gloria Phœbi,  
 Sicelidum turbæ, riguisque Aganippidos undis,  
 Hyblæis; apibus, niveóque adamatus olori,  
 Dulcia fœcundo præbebas gaudia ruri.  
 At nunc materies fit solus, & una doloris,  
 Materiam dederat, qui solus, & unus amoris,  
 Castalii flet turba jugi, lacrymisque profusis  
 Aonii fontes crescunt, Aganippidos undæ:  
 Hyblææ nec apes modò mellea munera fundunt,  
 Nec voces sublimè ferunt ad sydera Cygni.  
*Thyrs.* O mea spes! mea vita! fugis? pernicibus aliis  
 Immites Zephyri quorsum mea gaudia fertis?  
 O! quoties, nostris fuerat cùm Daphnis in agris,  
 Aurea poma tuli, Latium quibus omne redundat,  
 Quæ turgens Pomona colit? non illa recuset  
 Alcinois, non Hesperides ea munera temnant;  
 Aurea fors Daphnis Pomonæ pignora spernit?

Comp.

*Josephus Pranz.*

*Palæ.* Huic ego, cùm dulci penderet ab ubere matris,  
 Sæpius expansas tremulum complexus in ulnas  
 Basia mille dedi, cum ulabam lactea dona,  
 Et roseo puero crispatâ pelle bidentem,  
 Capreolúmque levem, & primæ lanuginis agnum  
 Obtuleram; quos ille, pedes ubi figere doctus,

Et

Et gracilem poterat per prata capeffere grefsum,  
 Compulit in viridi fibi carpere pafcuâ prato.  
 Me tamen ille fugit, Patriæ nec captus amore,  
 Hispanæ telluris opes, & Gentis Iberæ  
 Gaudia defpectat, trahiturque cupidine ruris,  
 India quod pandit, quod Eois vernat in oris?  
*Lyc.* O! animus quali defixus arundine buxi  
 Ingemit, ut veffras tacitâ bibit aure querelas?  
 Me quoque Daphni fugis, viridi qui tempora lauro,  
 Atque immortalî tribui fulgere corollâ?  
 Crudeles fuperi! fors Jupiter invidet orbi  
 Daphnidem, & Idæo tendentem retia rure  
 Qualis in æthereas Ganymedem fuffulit auras,  
 Daphnida fidereis fociare laborat alumnis?  
*Thyrs.* Hanc poteram sentire fugam, nifi læva fuiffet  
 Mens mihi: vix fuetæ campos tondere capellæ  
 Ad fua follicito properabant pafcuâ curfu:  
 Vertice depreffo flores languere notavi,  
 Et cafiam, & violas, immortalésque amarantos  
 Languida colla foleo tum vix attollere vidi,  
 Rupe fub exefa Nympharum turba latebat,  
 Deciduas non parca oculis evolvere guttas  
 Contendens, gemituque parans mulcere dolorem.  
 Sensit ovis, fenfere rofæ, fenfere Napææ,  
 Quod patrio de rure procul modò Daphnis abeffet.  
*Palam.* Cum Cythifum verfaret ovis præfente Ma-  
 giftro  
 Daphnide, dulcifonâ nemus omne fremebat avenâ,  
 Latâque ab arguta refonabant prata volucris.

At nunc sylva tacet, nemorisque silente choraulâ,  
Nec prato volucris, nec Pastor plaudit in antris.

Comp.

*Josephus Perl.*

*Lyc.* Quid fugis has oras, calathos quæ floribus im-  
plent,

Gramine quæis campus, quæis turgēt frugibus arbos,  
Et quæis multa gravi pendet de palmite gemma,

Invitat te dulce nemus, rivique fugaces

Murmure te querulo, miti jam cortice poma,

Textaque ferta rosis, invitant cerea pruna;

Quid modò pascis oves sitientes inter arenas,

Squallet ubi non culta seges, nec labitur unda

Gurgite perspicuo, nec oves nive vellera pingunt?

*Thyrs.* Gemmiferi num fortè placent modò Daphni-  
di rivi?

Et Tyberis, sordētque Padus, quos ubere musco

Vestit multa Dryas, prohibētque assurgere in iras,

Atque suum rapido transcendere murmure littus?

Quis præceps amor urget iter? retinete fugacem

Largiflui latices, fremat officiosus aquæ mons.

Pennipedes Zephyri celeri per inania cursu

In patrias revocate plagas, quem nuper ad Indos,

Et procul Ausoniis pia turba tulistis ab arvis.

*Palæ.* Ante agros subeat patrios, quàm vertitur anni

Orbita. quàm rigidæ furit inclementia brumæ,

Er placidas lento constringat marmore lymphas,

Aut arbusta comis viduet, vel frondibus ornos:

Ne



Nè fors Hyberno Daphnis lædâre rigore.

*Lyc.* Daphni redi ! te prata vocant, reducémque co-  
rymbis

Nympha parat redimire novis : si rura revisas

Patria, lacte fluent per florida jugera rivi.

*Thyrs.* Daphni redi ! tibi Narcissos, mollésque Hya-  
cinthos

Prodiga dextra ligat, tereti nova carmina buxo

Quisque canet reduci ; dulci modulamine plaudam,

Et blandâ faciles animabo voce cicutas.

*Palam.* Daphni redi ! teneri calathos è vimine textos

Jam Galatea parat, quæis mæsta silentia ruris,

Turbatâsque suis describet fontibus undas,

Pinget & errantes campis sine lege capellas,

Quæque gerit nimio caput inclinata dolore

Quercus, in angustos coget descendere juncos.

Vimina flere putes, ad eò feliciter usa

Arte suâ, nostri luctûs insignia pingit,

Atque tuæ simulacra fugæ ? quid, Daphni ! moraris ?

Daphni redi ! & grandem converte in gaudia luctum.

*Lyc.* Si renuas patrios, ô Daphni ! revisere campos,

Te superi servant ! haud usquam torreat æstu

Sirius, aut sævo perstringat bruma rigore.

Mitior at cœli facies, & purior æther

Promoveat gradientis iter : modulamine dulci

Turba loquax volucrum tibi tædia longa viarum

Leniat, aspiréntque Noti clemente Susurro !

*Thyrs.* Nereides servate meum, mea gaudia, Daphnin !

Si sulcare levi contingeret æquora pinu,

O soboles Ledæa ! rati succurre labanti,

Et radios impende pios! gremiôque benigno  
 Hunc foveat Thetis, quem cætera Numina servant.  
*Palam.* Vos & Hamadryades nemorum servate la-  
 tebris

Daphnida, nè præceps detrudat in avia lapsus,  
 Nè fors præda lupis cedat, spolumvè lænæ;  
 Dum tandem incolumis redeat, mea gloria, Daphniis.

Talia mæsta trias querulâ promebat avenâ,  
 Lugubri testata suos ità voce dolores,  
 Afflictæ testata pios ità mentis amores.  
 Fistula mox segnis ternâ pendebat ab ulmo,  
 Effet ut insoliti monumentum triste doloris.

Comp.

*Ignatius de Richtern.*





**E**xtollat suum gentilitas Cyneam; India Xaverium. De illius facunda potentia Epirotarum Regis Pyrrhi, teste Plutarcho, sensus erat: plus sibi urbium, atque animorum Cyneæ linguâ, quàm armis suis paratum; de Hujus potentissima facundia Vaticanum exstat oraculum: ampliorem Ecclesiæ horreis animarum illatam esse messem, quàm usquam prodeuntia heterodoxæ pravitatis zizania suffocâriant. Ille nativâ; Hic linguis loquitur omnium, dum populi eloquio crevère suo. Xaverii lingua non Europæ modò finibus insonuit; sed victrix illa facundia omnibus audita est telluris, & æquoris undis. Quodsi Herculem Eum dicimus, & Tyrrhenum, & Gallicanum dicamus necesse est; monstra enim pariter, ac homines linguâ vicit, vinxitque animos; nec minùs



humanis mentibus vincula , quàm ferocientibus humana sub specie feris lupatum imposuit. Hujus more, & ore potens verbô, & opere, in Dominico ovili fidelior Daphnis attraxit universos, catenis aureis populares, populabundos ferreis. Feliciorum multò Xaverium fuisse Tullio quis ambigat ? hic enim pro domo sua, Ille pro Ecclesia DEI peroravit. Renovatum hic illud, quod duodenæ Apostolorum coronæ novum olim accidebat, miraculum ; audiebat unusquisque linguâ suâ illum loquentem ; Indi, & Japones, Æthiopes, & Arabes, & innumeri alii audire Eum loquentem suis linguis magnalia DEI. Nimirum Vir erat, qualem priora sæcula nec sperare, post-humâ nonnisi ingenti stupore poterant demirari. Erant in illo summa omnia, seu zelum, seu facundiam, seu Sanctitatem spectes. In summa ; qui hæc summa in Xaverio non videt, aut nihil videt, aut invidet. Reliqua encomia tomis digna velut Iliadem includo in nucem omnia : quippe do in compendio , dum Thaumaturgum dico , cui non immeritò breve verbis , amplum affectu canimus memnosynon : Laus immortalis immortalis Xaverio , qui , ut homines è feris faceret , feras adit homo Daphnis , & terris dissita lustrat.

## ECLOGA QUARTA.

Daphnis canens, five S. Xaverius diversis Gentibus suâ cuique linguâ visus pro concione dicere.

*Belis, Philæmon, Damætas.*

**D**ensa comis corylus, crispata cacumine buxus,  
Et quercus sacrata Jovi, tilixque frequentes  
Arce-

Arcebant Phœbi radios, & mitior aura  
 Æthere spirabat; Belis, promptusque Philæmon  
 Ducebant pecus è stabulo, agnos, atque capellas.  
 Otia dum captant pecudes, saliuntque per herbam  
 Capreoli, lætisque agros balatibus implent:  
 Conveniunt, buxô, & Corylô facientibus umbram,  
 Ambo ætate pares, ambo cantare periti,  
 Blandisonis ambo calamis certare parati.  
 At vocis pretium dum quisque referre laborat,  
 Jurgia longa serunt; has Belis ab ore querelas  
 Fuderat: Heu quantum tua stridet avena Philæmon!  
 Implacidum rauco depromis gutture carmen.  
*Phila.* Non renuo pugnam: quid possit uterque ca-  
 mænâ,

Nunc tentare lubet; nivei cui copia lætis,  
 Depono vitulam, redimis quo pignore litem?  
*Bel.* Quantum lusciniæ passer, vel rana cicadis,  
 Ledæo quantum cedit rudis anser olori,  
 Inferior nobis spirat tua carmen avena.  
 At nè me simili posthac sermone laceffas,  
 Imparibus tecum cannis, sed promptior arte  
 Congrediar: pinquem referes pro pignore taurum.

Spes urit laudis: primus sua carmina mandat  
 Fatidicas memori describere cortice lauros;  
 Præcipit ille suas evolvere garrula voces  
 Flumina, dum plausu sint Belidis omnia plura.  
 Jurgia fervebant, nil non Melibæus agebat,  
 Ut monitis lites componeret inter utrumque;  
 Quisque sibi primos tribui cupiebat honores.  
 Nec verbis modo verba, probris jam probra repo-  
 nunt,

Et quæ materiem præbebat fistula litis,  
 Jam plagis impacta sonat : neque dextera segnis  
 Æmula, verberibus compensat verbera multis,  
 Dúmque ea rixa calet, multum latrante molosso,  
 Damcetas propriis celeri gressu advolat agris :  
 Heus pueri ! exclamat, juveniles ponite rixas.

Comp.

*Franciscus Schinnagl.*

Paruit extemplò Belis, pactúsque perennem  
 Rursus amicitiam, cerâ connectit avenas,  
 Explorátque sonos digitis : neque segnior alter  
 Imparibus cannis modulamina fundit amica,  
 Damætas senior fari tum denique cœpit :  
 O populi agrestes ! oviúmque audite Magistri !  
 Monte sub hoc, ubi rura virent, & pingua florent  
 Germina, & in segetes magno cum fœnore campi  
 Luxuriant, oviúmque incustodita vagantur  
 Agmina, cùm calamis languentia membra levare,  
 Et fugientis aquas tentarem sistere rivi,  
 Quæ mihi, quàm Divina meæ vox insonat auri !  
 Pindi lapsa jugis, claris vox vertice lapsa.  
 Non ausint vestræ sese æquiparare camænæ.  
 Ut reliquos colles supra se victor olympus  
 Erigit, exiguas quantum querceta myricas  
 Exsuperant, tantum Daphnis supereminet omnes,  
 Argutâ quoties fundit modulamina voce,  
 Quid memorem sylvas ? resonat nemus omne ca-  
 mænâ

Daph.



Daphnidis, & mores dudum complexa ferinos  
 Corda novus miti rursus trahit Orpheus arte.  
 Si quas saxa gelant, & multo marmore stringunt  
 Mentis, voce potens percellit fulminis instar.  
 Ut vidi, obstupui, quæ sit facundia linguæ  
 Daphnidi, quos animis inspiret carmine sensus,  
 Inque artus fundat pietatis ab ore favillas.  
 Vix Agni audierant atro carbone notati,  
 Vim linguæ sentire, novos animantur in ausus,  
 Deterfâque novam capiunt fuligine formam.  
 Mox niveos pandunt vultus, & eburnea colla,  
 Candida cervices, & candida vellere campis  
 Plaudit ovis, plaudit niveis argentea villis,  
 Quæ nuper corvos æquabat fusca colore.  
 Cuncta movet Daphnis, stant Daphnidis omnia voce.

Et quanquam variis balatibus ora resolvat  
 Dulcis cura, pecus, nec eodem degat ovili,  
 Et diversa licet rursus ad præsepia tendat,  
 Omnibus auditur, vox Daphnidis omnibus una est.  
 Ut nunquam liquidis pisces satiantur in undis,  
 Nec florentis apes fastidia captat Hymetti,  
 Daphnidis haud aliter facundo pendet ab ore  
 Omne pecus, vox illa favos, vox mella propinat.  
 Ros quanquam placidis argenteus insidet herbis,  
 Dulcior æthereo multum est facundia rore.

*Bel.* Pastores inter primus memorabere Daphnis;  
 Tu vitulâ dignus. *Phil.* Taurô tu dignus, & agnis.  
*Damot.* Vos, quibus est melior vox, & vis blanda ca-  
 nendi,

Ore favete simul, per pingua rura, per agros,

Per patrios montes, calamis, facilique cicutâ  
 Laus tua Daphni sonet, capitique addamus honores,  
 Mollia ferta rosis ; incingite tempora lauro.

Ocyùs emeritis viduatur frondibus arbos,  
 Cædua multa gemit, truncatâque brachia laurus  
 Cogitur in meritas gracilis sinuare corollas.  
 Gaudia festinant, fervent plena orgia campis,  
 Gratanturque novum Dryades tibi Daphnis honorê.

Comp.

*Hieronymus de Braitenbuch.*



**A**D tot Ignatio duce, Xaverio Comite Laureatos utro-  
 que in orbe labores, laboriosâsque lauros hæret quidem  
 atto

attonita, non tamen desperabunda succumbit, tantis impar honoribus facundia, quin eò, quo cæpit, pede vestigiis insistat. Quæ tunc facies afflictæ Ecclesiæ nostræ fuerit, quis sine animæ deliquio revocet in animum? De duro illa ætas ferro fuit; erupit omne nefas, fugere pudor, verumque fidésque; mille viis grassatum est malum plusquam Lernæum. Hydræ tam immani bellum quis heros indicat? Hercules hic novus Ignatius est, qui Cadmi fabulam verit in historiam; quandoquidem scelerum exuvias fecit pietatis induvias. Atque hinc est, quòd pullulantem quaquaversum junctam hæresi impietatis tyrannidem in ipsa herba feliciter opprimens, perfidiæ nefandæ capita in multorum capitibus præcidit, auspicijs tam fortunatis, ut illa omninò absque poëtica auxesi sanguine cæсорum infecta tantam cædem erubuerit. Benègnarus nempe erat, nihil citiùs Ecclesiam secare, quàm sectas. Loyolæ in Europa Xaveriana in Indiis messis succedit, quam paucis expedio. Non ex dentium ossibus Xaverius, sed mutis ad laudes DEI lapidibus homines erigit novus Deucalion: novam Ecclesiæ fabricam machinatur ex lapidibus animatis ad Siracidis invidiam; isto major, quòd non Regnum duntaxat integrum in templi unius ædificium, & sine sensu lapides dilapidaverit; verum etiam tot Regna converterit in Spiritûs Sancti templa, quot idololatriæ cultu imbuit, veròque DEI agnitione instituit. Arte novâ rupes penetravit lacte, non acetò. Lac adamantes eliquat; lactei Xaverii mores rupes cordium dissolvebant, qui quocunque movebat gressum, Liberum fecit Religioni passum; quâ pedem direxit, calcavit impietatem, dispersit scelerum colluviem, non ut se dispergant. Nimirum invia virtuti nulla est via. Hæc delibasse sufficiat; reliqua Sanctitatis monumenta uberiori calamo, qui ausit, perstringat. Divitis ingenii est immania Xavier acta condere, materiâ nè superetur opus, quæ jam sola solem æquat.



# ECLOGA QUINTA.

S. Ignatius sub nomine Jugintæ enarrat fructus in Europa per Socios obtentos, cui S. Xaverius sub persona Daphnidis suas quoque in India partas fruges recenset.

## *Jugintas, Daphnis.*

**E**st vallis, Dryadum sedes, quam plurimus ambit Pampinus; hinc amplis surgunt vineta racemis, Gemmatisque omnis turgescit vinea botris, Jamque suas huc Daphnis oves, agnosque Jugintas Compulerant: sacris ardebant ignibus ambo, Et vigili curâ, quas vinea spondeat uvas, Et quas spes in flore gerat, lustrare parabant. Cùmque suas ambo dispensant undique curas, Gramineo sua membra thoro defessa Jugintas Reclinat, similes evolvens gutture voces:

*Jug.* Dulcia sunt fractis Zephyri modò sibila membris,  
Dulce labris nectar, gelidis quod spumat ab undis,  
Dulce melos volucrum, patulos quod personat  
                  agros,

Dulce jubar Phœbi, sed multò dulcior illis,  
Daphnidis est vultus, vox sola est dulcior illis.

Jam molli Daphnis recubârat cespite clivi,  
Atque modesta suo referebat verba Magistro:

*Daph.* Hæc tua sunt, inquit, præconia; suada labellis  
Insidet, & blandos depromit ab ore Jugintæ  
Illa sonos; arbuta trahis, sylvæque sequuntur,

Et quæis caucaseo duravit marmore pectus.  
 Triste genus scelerata lues, proni alite gressu  
 In tua vota ruunt : Cythiso velut agna recenti  
 Allicitur, promptamque capit tremebunda sequelam,  
 Haud aliter tua quemque trahit facundia linguæ.  
 Si tamen & calamis cupis, agrestique camæna  
 Suave ciere melos, prior incipe digna Jugintas  
 Carmina, te sequar, atque rudes mulcebo cicutas.  
*Jug.* Rustica Musa placet : si Martia classica desint,  
 Tibia dulcisonos novit quoque fundere versus ;  
 Ast quæ prima mihi, quænam sit & ultima cantûs  
 Materies ? sacram lubet extimulare camænam.  
 Aspicias, ut largæ tumeant in vitibus uvæ ?  
 Vincetos cerne botros, & pulchrâ lege per orbem  
 Pampineos pendere satus : non ingruit umbra,  
 Et densis vites obducunt sentibus herbæ,  
 Ordine protensas lolium non opprimit antes.  
*Daph.* Aspicias, Eois ut se nova germina terris  
 Rure levant sterili ? viridantia pignora Floræ  
 Ut jubar attolant roseum, mollésque per hortos  
 Jactet Chloris opes, divésque autumnus ab uvis  
 Turgida largifluis quærat modò præla falernis.

Comp.

*Georgius Reiffenstein.*

*Jug.* Aspicias, ut facies niteat nunc altera cœli ?  
 Ut nova jam serus succedat sidera vesper ?  
 Nuper lugebat densis Europa tenebris ;  
 Errorum nox quanta fuit ! jam sidera fulgent,

Et

Et melior lux orta micat ; melioribus uri  
 Jam flammis didicit, cypriásque exosa favillas,  
 Divinas Europa faces, unius amores  
 Numinis, innocuos ambit modò pectoris ignes.  
*Daph.* Anceps sæpe quidem versat sententia mentes,  
 Quas segetes annus, quas vinea proferet uvas,  
 Votáque Pastores, fallunt sua vota colonos.  
 At modò dives opum, gravidis modò dives aristis,  
 Turgida nunc fructu, nunc amplis læta racemis  
 India ruricolæ spes, & pia vota coronat.  
 Quanta meus Japon Autumni munera sponder !  
 O quos promittit Sinarum vinea botros !  
 Quos Chinæ, & Brasiles, inculta Travancoris ora,  
 Quósque Comorini portus feret ubere censu  
 Spes, fructúsque operæ haud vanæ sudore locatæ.  
*Jug.* Sæpe meæ nocumenta infert vulpecula viti,  
 Nec tantùm brumale gelu, non grandinis imbres  
 Officiunt botris, matutinæque pruinae,  
 Quantum dente suo foetis nocet illa racemis.  
 Qui spe amplâ turget, si vulpis dente prematur,  
 Exsuccus crescit corrosio in palmite botrus.  
 At Canis Helvetiâ natales stirpe requirens  
 Vulpibus infestus, genus illud nare sagaci  
 Indagat, valido grassans in viscera morsu,  
 Tum nocuam extirpat pecudem, latísque resurgat  
 Culta meo sudore diu mihi vinea spebus.  
*Daph.* Portentosa olim faustis Hebronis in oris  
 Visa fuit, vastísque allata in vectibus uva.  
 Haud alium nuper botrum mihi Regia Bungi  
 Obtulit, ut primùm licuit rus illud, & agros



Excolere, & campos numerosâ cingere vite.  
 Culturæ patiens fructus jam surgit in amplos,  
 Vinicolæ pensans largo cum scœnore zelum.  
*Jug.* Omnes illa plagas scrutatur odora canum vis;  
 Multa gemit captiva fera, & vulpecula casses  
 Multa petit, lætósque fremit florere racemos,  
 Et matutinis vineta tumescere gemmis.  
*Daph.* Quid referam? spumat plenis vindemia cellis,  
 Sudant præla botris, dulcique liquore redundant,  
 Et pressis vites despumant vina racemis.  
**Fors** nuper pecori dederant umbracula sylvæ,  
 Et mediâ cœli Titan sterit arduus arce;  
**Pampinets** cum picta jugis non deside gressu  
**Arva** peto: video tumidas in vitibus uvas,  
**Corno** racemiferos tenero sub palmite fructus,  
 Atque ulmos dulci miror turgescere succo:  
 Et jam maturos, queis sacri gemma lavacri  
 Fronte sedet, memori tot mente recenseo botros,  
 Æquarent ut dena meæ tunc millia vites.  
 Quas dum dextra parat sacratissimæ tingere lymphis,  
 Fessa labat tandem; Pietas submitit Atlantem,  
 Bajulus ut fragilem fulciret robore dextram.

Comp.

*Franciscus Stierpöth.*

*Jug.* Et mihi Virgineas generat quæ vinea mentes,  
 Læta viret, nec iis sociantur vitibus ulmi,  
 Solo ea virtutum pubescunt germina foetu.  
*Daph.* In tenero quàm magna micat spes palmite  
 nobis!

Sæpius

Sæpiùs hunc curvo Saturni dente putare  
 Haud piget, incultâ nè quondam fronde redundet,  
 Falce premo ramos, patitur dum vinea falcem,  
 Ut flectit virgas olitor, dum præbeat amplam  
 Umbram arbor, quæ dein sublimi vertice nutat  
 Luxuriosa comis, & dulcis prodiga foetûs,

*Jug.* Numen cœpta fove ! tua gratia semper apud me,  
 Et nostrâ cum vite frequens tua gratia spiret !  
 Non venti officiant, non obsint frigora botris,  
 Absit grando, negat violata à grandine censum  
 Vineæ, cœlesti spes nostra fovetur ab igne.

*Daph.* Flores quærit apis, gelidum fera saucia fon-  
 tem,

Pinus amat ventos pelago jactata secundos,  
 Pastor oves, fessor vestigat pallidus anrum,  
 Solem ambit vitis, cœlestem vinea rorem.  
 Hoc steriles DEUS alme ! plagas, incultâque terræ  
 Arva riga, sacrâ ditefeat ut India fruge.

Hæc coryli audierant, memores hæc carmina  
 fagi

Arbuteo scripsere libro : Tiberisque stupebat  
 Ardore, vitreâ sed dum caput extulit undâ,  
 Ille ciet plausus, & tollit ad astra Jugintam:  
 Pérque omnes ripas, pérque ostia gemmea Gangis  
 Vota fremunt, omni celebratur littore Daphnis,  
 Et fit materies dives vindemia plausûs.

Comp.

*Josephus S. R. I. C. Cozzoli.*

Ergo



**E**Rgo suum iteratò sibi in **Xaverio** adesse Dominum sensit impetuofus oceanus? efferbuerat ille nuper citatis in prælia ventis, atque unà **Eurusque**, **Notusque** ruens, crebèrque procellis **Africus** vastos ad sidera fluctus voluebant. Adest **Neptunò** melior **Xaverius**, qui non fabuloso tridente, sed **Thaumaturgò** cruci affixi symbolò iratum demulcet elementum, & dictò citiùs tumida æquora placat, collectàsque fugat nubes, solémque reducit, & vastas aperit syrtes, & temperat æquor. Tantum scilicet reveritæ imperium, non potuère non obtemperare tanto **DEI** Famulo famulatrices undæ. Neque mirum: antambulam enim agebat maximi **Apostoli** fama, tot instructa lituùs, quot prodigia, & impensa nationibus, & populis benefacta utroque latè orbe fecerat resonare.



Hinc factum accepimus, ut non ventis, & mari duntaxat, verum & piscium multitudini dominatrice dexterâ imperaret. Nimirum victor hucusque hominum Xaverius, animantium quoque amores in se excitat, ut quemadmodum in aliis summe mirandus, ita in piscium phænomeno sit miraculosus. Non satis tibi est Magne Indostani Apostole! pisces mutos ( volo dicere homines ) loqui facere, & non tam tibi quàm Numini, quas debent, laudes cantare; verum ad natantum te agmina convertis, ut, dum illa ad obsequium hominum edomas, hos DEI mandatis arctius obsequi facias. Desinat jam sui Methymna cytharædi jactare potentiam, quando Xaverius non incantatrice lyrâ, sed imperatrice dexterâ, data undis benedictione retibus largiter benededit: quamvis enim canente Vate Peligno voci favisse putatur piscis, Arionæ fabula nota lyræ; Thaumaturgi tamen nostri non vocem expectant, sed vel nutum pro imperio reverentur dispersi per diffusas latè æquoris regiones squammosi greges. Hinc in sublimi Xaverianæ virtutis apice dum tantam prodigii magnitudinem minimus attingere calamus non potest, elementum loquitur: Hoc motore fluo, refluo.

## ECLOGA SEXTA.

Daphnis piscans, seu prodigiosa Divi Xaverii dextera, quæ impertitâ undis Benedictione numerosam piscium vim in rete cogeret.

*Ægon, Tityrus, Amyntas, Daphnis.*

**C**ùm pinqui fœcunda forent jam gramina glebæ,  
 Pingeret innumeris natura coloribus agros,  
 Atque daret variis annus primordia rebus,  
 Lacti-

Lactiferæ campis Matres, agnîque petulci  
 Germina tondebant ; at duris vocibus hædos  
 Sæpius & jactâ solitus compescere glebâ,  
 Obvius in patulis errabat Tityrus agris.

Lanigerum tum fortè pecus, teneræque capellæ,  
 Mixtâque cornigeris ibant armenta juvenicis  
 Tutelæ secura suæ : melioribus orbi

Illuxisse diem radiis gratatur amico

Ore Ægon, plauditque pedo festivus Amyntas.

Nec mora : muscoso saliens quâ panditur antro

Lympha, trias concors properat, curisque soluta  
 Blandis delicias rivorum cantat avenis.

*Tityr.* Gaudia sunt clivi, sunt & mea gaudia rivi,  
 Naiades cùm lene strepunt, placidòque pererrant

Murmure ; vallis ubi luctatur margine curvo,  
 Garrula ubi tumidos ignorat Lympha furores.

Unda placet, tenuis cui præbet littora muscus,  
 Ignarâque æstûs humilis quam ripa coërcet.

Sæpius innocuo Zephyri certamine ludunt,

Cùm placidis crispantur aquis, speculique ministrant  
 Flumina plana vices ; his mergo fontibus agnos,

Si queis primævâ turget lanugine pellis.

*Ægon.* Gaudia sunt clivi, sunt & mea gaudia rivi,

At tenui rivus si non inglorius alvêo

Arva remota petit, geniali carcere rupto

Qua data porta volat, præcelsòque impete fertur,  
 Præcipitemque fugam invitis licèt urget arenis,

Natali cùm tarda solo, laribusque paternis

Unda tenax repit, nullo torpescit honore

Conspicuum flumen, bibulis sorbetur arenis,

Obscurumque latet: peregrina ubi littera pulsat,  
Gloria per varias rivorum diditur oras.

*Amynt.* Gaudia sunt clivi, sunt & mea gaudia rivi,  
Patria squammigerâ si prole fluenta redundant,  
Et non præda levis venient in retia pisces.  
Dulcis aquæ est rivus, si quando argenteus humor  
Per sata læta fugit, spatiosa per æquora campi,  
Undaque non lento gelidos trahit agmine fluctus;  
Cùm largi latices non parcas florea præter  
Germina despumant lymphas, latèque virescens  
Fæcundatur humus: sed dum numerosa sagenam  
Turba beat, mordétque avidus grex squammiger ha-  
mun,

Dulcior ille latex, geminat tum gaudia rivus.  
*Tityr.* Non ignota refers, geminant sua gaudia rivi,  
Cùm salit, & circùm gestit trepidantibus undis  
Se per furtivos piscis devolvere calles.  
En favet hic, liquidóque frequens natat incola piscis  
Argento, tacitum lubet hamum & tendere rete.  
Non prædæ spes parva micat, sed fluminis alvæus,  
Et cœli facies cogent in rete natantùm  
Officiosa gregem; penitum scrutatur aquarum  
Dextra sinum, rete Ægon, hamum tentet Amyntas.

Comp.

*Josephus Knol.*

Sisyphæo multùm desudat terna labore  
Dextera: nunc vacuam tollunt in luminis auras,  
Et prædæ expertem stomachatur quisque sagenam.  
Nunc



Nunc plorant hancum turbam luisse natantum,  
 Aut sibi præcipiti captam per retia prædam  
 Consuluisse Fugâ : sese urnas mergere plangunt,  
 Quas Danaï soboles Cocyti versat in undis.

Vix querulos bibit aure sonos, jam præpete  
 gressu

Advolat, atque animos prædæ solatur inanes.  
 Quæ vos unda tenet? placido sic ore profatur  
 Daphnis amor cœli : quos fontes dextra requirit?  
 Quid profugas rimatur aquas, vulgusque natantum  
 Vestigat delusa manus? sunt munera cœli,  
 Quæ naturæ opifex arcanis condat in undis:  
 Nec cuiquam obtingunt invito Numine dona,  
 Nî cœlum aspiret, piscamur in æquore ventos.  
 At prece mollitus spirat clementiùs æther,  
 Et cæptis ipsa astra favent, cùm supplice cultu  
 Propitios in vota DEOS ciet indiga turba,  
 Atque aris superùm crispata pelle bidentem  
 Destinât : humanæ cedunt res auspice cœlo.

Hæc cùm fatidico Daphnis depromeret ore,  
 Intonsi montes, ipsæque ea carmina rupes,  
 Ipsa sonant arbuta : DEUS, DEUS arbiter unus  
 Spes rotat humanas, hoc vivunt auspice cuncta.  
 Flumina dum pisces, dum pinguia rura Capellæ;  
 Hyblæum dum nectar apis, rorémque Cicada,  
 Dúmque nemus volucris, præsepia taurus amabit,  
 Numinis æternâ resonabunt singula laude.

Tityrus interea ( sublato ad sidera vultu  
 Cùm Daphnis signaret aquas ) demergit in imum  
 Retia, nec par est, quos claudit dextra, levandis

Piscibus ; immenso vinci sua scœnore vota  
 Haud solitâ modò voce refert, nec gaudia mentis  
 Temperat, immodico fervent vaga littora plausu.  
 Qualis in Hyblæos fertur denso agmine colles,  
 Dum vernas populatur opes, & nectar Hymetti  
 Sugit apis : talis geminas præda obsidet oras,  
 Ignotâque tremit mundi gens squammea sede,  
 Nativo spoliata vado, mollique ligata  
 Compede, captiva pro libertate laborat.

*Amyx.* Quæ tibi, quæ tali referam pro munere vota,  
 Nam neque dulcisono labentes murmure rivi,  
 Nec lampas Phœbæa juvat, nec sibilus austri,  
 Ut tua Daphni manus, quantum tua carmina Da-  
 phni!

Orpheus in sylvis, inter Delphinas Arion,  
 Fluctivægis noster celebrabere Daphnis in undis.

Comp.

*Joannes Schwärzl.*





**I**rrequietus semper, in quiete nunquam est pro DEI gloria amplianda Xaverius. Nescit nec periculorum multitudine, nec laborum gravitate succumbere animus, cui Divinus amor addidit alas: repleti potest, non satiari ærumnis mens intenta polo. Per tot pelagi, cælique minas, per vitæ, mortis que vias, per varios casus, per tot discrimina rerum Indiam utramque pervolavit invictus Xaverii zelus, & tamen mens immota manet; nunquam angustior, quàm dum inter angustias, & labores existeret; nunquam animo erectus magis, quàm dum nova sudoris messis in herba esset. Igitur non Martis, sed salutis galea, non Bellonæ, sed fidei scuto, non Mercurii talaribus, sed speciosis Evangelizantium pedibus instructus, ad nova identidem Dominico ovili paranda Spolia selectus Daphnis



Daphnis accedit, ac Divini Pastoris sui insistens exemplo, relictis nonaginta novem oviculis unicam inquit, scelestum nempe militem. Erat hic eorum facile de numero, quorum illa apud Poëtam querimonia meminit: nulla fides, pietasque viris, qui castra sequuntur. Dum enim ferrum tractavit, ferreos pariter mores induit: Gradivus erat illi gradus ad omnem flagitiorum impudentiam, neque in ferreo illius corpore animus residebat alius, quam minimè aureus. Unde difficile in eo militiam discrevisses, & malitiam; ità utramque amplexus est, ut viva utriusque Idea videretur. Hunc tamen ita effrontem Xaverius bellatorem arte novâ debellat. Illud speciale fuit Victoris Hujus stratagema, priùs sibi cœlum devincire, quàm hostem vincere, cùm victoriæ pretium sint preces, quæ Cœlites evocant in commilitones; mox eo belli utitur genere, quo ferè vinci, quàm vincere magis est gloriosum. Quare ea in semet defavit immanitate, ut repetitis flagellorum ictibus tota passim sylvæ personaret. Volebat scilicet stillante ubertim toto è corpore in terram sanguine rubere, ut vel sic avidam sanguinis impietatem expiaret, & deperditam pudoris purpuram impudenti restitueret. Minimè proinde erraverit, si quis non hamiotam Xaverium, sed homiotam compellaverit: hoc si displicet, vetè Pelicani nomen obtinet, qui proprio pullos suos sanguine redimit; favit nempe languentem in tenebris animam militis eo Spiritus sui lumine, ut sibi reddita exclamaret: Hoc afflata corusco,



# ECLOGA SEPTIMA.

S. Xaverius sub nomine Daphnidis  
relictis aliis oviculis unicam, id est, militem  
scelestum inquit, & tandem ovili Christi  
adjungit.

## *Daphnis.*

**D**Aphnis amor ruris, Pastorum gloria Daphnis  
Indignos ægro versabat pectore questus;  
Hesperius Titan volventem corde querelas  
Vidit, & Eous curarum pondere fessum,  
Umbrae illum nemorum, latices videre fugaces,  
Abruptæque jugis valles videre gementem,  
Errantem per tesqua soli, per devia rura  
Luget ovem, mentisque fibras hæc dente tenaci  
Cura premit, nemus omne subit, camposque pererrat,  
Et nemori, & querulis per florida gramina rivis  
Enarrat tacitos tristi sub corde dolores,  
Nec mites gemitus planctu jactabat inani,  
Et nemora, & rauco fugientes murmure rivi  
Adgemuere; imò queribundo tacta dolore  
Saxa sonant, rigidoque sinu strepit ardua rupes.  
Errantem sed ovem securo ut jungat ovili,  
Imparibus cannam, quas vallis proxima præbet,  
Jungit arundinibus; vacuas, paulumque remotas  
Cerea castra domos, apibus jam ad pascua versis  
Cernit amans, jungensque suis discrimina ceris  
Format opus, sibi quod concinnâ lege cohæret.

Maxima prima fuit, minor, & minor altera primis,  
 Septima præ reliquis, quamvis & junior ævo  
 Fistula parva fuit: sic amissam impare canna  
 Quærit ovem, densâque nigrum nemus ilice poscit.

Afflictus, rigoque genas jam sordibus imbre  
 Fessa locat tenero gemebundus cespite membra.  
 Nec mora, respirans admoto dulciter ore  
 Septenis animam facili, promptoque labore  
 Afflat arundinibus, sonus est concordibus unus,  
 Atque æquale melos, cunctis & spiritus idem  
 Multiplici ore sonat. Similes sed canna querelas  
 Promere visa fuit: mea ovis! mi agnellule dulcis!  
 O ubinam es mea dulcis ovis? quam læta paravi  
 Pabula, quid renues mollissima pascua casto  
 Non nisi trita pede? ah! propera nova prata subire,  
 In quæis gramineum saturata capeffere collem,  
 Et suavem poteris semper captare soporem  
 Vivas propter aquas: primævo hæc vivida succo  
 Germina fundit humus, molissimus arva coronat  
 Muscus, fragrantemque thymum diffundit in agros,  
 En Lupus insidiis, Massylâ pelle læna,  
 Dente, jubisque ferox vi te sibi poscit apertâ.  
 Ah propero meliora subi præsepia gressu!  
 Nè fors ignotam posthac per iniqua sequaris  
 Tesqua viam, trucibusque lupis rapiendus aberres.

Comp.

*Josephus L. B. de Zwenkau.*

Agne veni! mea cura veni! quid inhospita semper  
 Au-



Antra petis? per iniqua, tuique oblita, meique  
 Arva capis gressum: jam ex vero nomen habebis,  
 Et miseræ cognomen ovis. Mi Agnelle! redito.  
 Ocyus hac sublata redux cervice recumbes;  
 Quàm leve pondus eris, quàm sarcina dulcis amanti!  
 Horrida si scabies tua jam per corpora serpat,  
 Nostra salutiferam spondet tibi dextra medelam,  
 Ipse DEUS pastor pretium venale cruoris  
 Impendet, quo nulla salus præsentior ægris.  
 Quid fugitiva capis malefidis gaudia pratis?  
 Non pictis saturatur aquis sitis ulla palati,  
 Tantaleámque famem non poma fugacia pascunt,  
 Quósque botros Zeuxes pennatæ ludicra turbæ  
 Pabula proposuit: terrâ, rebúsque caducis  
 Expleri mens nostra nequit, quam cernere cœlum  
 Jussit, & erectos ad sidera tollere vultus,  
 Æthereo semper pascuntur rore cicadæ,  
 Atque favos legit omnis apis florente salicto,  
 Elysias donec melior gula ruminet herbas,  
 Desipiántque Dapes, perituráque gaudia ruris,  
 Anxia degeneres perturbant pectora turbæ.  
 Heu Daphnis! gemitus, quæquè ignea pectore vota  
 Depromis, sunt præda Notis; quo tramite cœpit  
 Devia in exitium, sinceri incuria callis  
 Jam festinat ovis, cupidè malefana requirit  
 Pascua, & anfractus curvos, abruptáque scandit  
 Culmina, nec subit ulla vagam formido pericli.

Comp.

*Leopoldus de Schickh.*

Ergo velut reprobam sobolem à radice revellit,  
 Aridâque excindit ferro vepreta colonus,  
 Vel verò purgat crepitante novalia flammâ,  
 Si quando nocuas opus est evellere spinas;  
 Immitem proprio lanienam corpore Daphnis  
 Exercet, trepidûmque erranti afflare pudorem  
 Tentat ovi : quam voce nequit, blandisque cicutæ  
 Illecebris, sociare suo contendit ovili  
 Tramite sanguineo, vellûsque rubere cruore  
 Præcipit, ut niveum bibat impia lana colorem.  
 Atque ùt tecta sonant, largo cùm Jupiter imbre  
 Frigore concretas summa jaculatus ab arce  
 Spargit aquas ; ùt densa pluit celsâ ilice glandis,  
 Quam læsit glacialis hyems : itâ verbera dorso  
 Accumulat, plagâsque graves, dum corpore toto  
 Unum vulnus hiet, defudantésque lacerti  
 Robore deficiant, & nec furor arma ministret,  
 Vulneribûsque locus desit. Sed sanguinis imbre  
 Mota, salutari mox errabunda rubore  
 Pingitur, atque novo sua murice temperat ora,  
 Hinc in vota ruit, vestigia prompta capeffit,  
 Imperiis que gerit morem, quocunque Magistri  
 Invitat, suadétque piâ vox blandâ sequelam.

Errantem complexus ovem, gremiôque repo-  
 nens

Daphnis, inoffenso per jugera currere gressu  
 Edocet, abstergens saniem, fontémque veneni.  
 Nec segni inde manu sacrato in flumine lotam  
 Mollibus albenstem villis adjungit ovili.

Non jam pingui agnus graditur macilentus in  
arvo,

Divitis uber agri nunquam non gramine læto  
Luxurians, niveum modò membris afflat honorem,  
Et prata irriguis, quæ turgent ebria rivis,  
Riparúmque thori virides meliora propinant  
Pascua; nec placidæ volucres, nemorísque choraulæ  
Deficiunt; sonat omne nemus, nova carmina fer-  
vent,

Carmina, quæ castæ tantùm modulantur avenæ.

Talia dum fierent, movêre cacumina sylvæ,  
Et rupes, & saxa sonum, plausúmque dedere.  
Insonuit læto tum pinus amata susurro,  
Quæque diu latitat vocalibus abdita faxis,  
Daphnida perpetuis ornat modò plausibus Echo.

Comp.

*Franciscus Würth.*




Quem





**Q**uem paulò antè amabilem in mari, eundem modo formidabilem in terra experiuntur Xaverium feræ animantes. Illic pisces suavitate pellexit; isthïc tigres severitate pellit. Ita in Xaverio totum in bruta imperium, aut totum in imperio Xaverium spectâsses. Cum DEO poterat omnia in omnes, cum Illo omnia contra omnes. In ea quippe inciderat tempora florentissima cæteroquin Sanciani Insula, queis an acerbius obstetricante naturâ malum prodiverit, haud facilè indicaverim. Tam immani seu numerò, seu rapacitate tellurem illam infestabant tigrides, ut eas univërsa, quæ inhospitæ alunt sylvæ, latibula diceret deseruisse, ut in hac hospites agerent. Horret animus, fugit mens tantas meminisse ruinas. Tunc cædes hominum generi, tunc prælia nata, tunc brevior di-  
 ræ

ræ mortis a perra via est. Non in Regione urbs, non in urbe domus, non in domo angulus tutum à tanta rabie præbet asylum. Collecta fatigat ex longo rabies. Hinc impiæ Lanienæ vix erat, qui se subduceret; cumulatis quippe funeribus insatiabili belluarum gulæ passim immolabatur. Semi-laceri artus, exesa ossa, sanie, & cruore liventia membra, illic pedum reliquiæ, alibi fæda carnis repotia, quid nisi horridum oculis spectaculum? Adeò flebilis ubique rerum, ac Regni facies, ut vel Tartarus ipse, tantis Xaverii virtutibus infensus, non re minùs, quàm nomine affinium sibi Tartarorum Tartareas planè furias Sanciano immisisset videretur. Omnibus dirò pavore consternatis penè concussa tremuit terra. Diceres, cam incolarum suorum fugam subsequi conatam, è centro propè jam suo exire voluisse; aut tanto gravatam malo, sub pondere laborasse, omninò ruituram, si quò caderet, habuisset. Quid agant miseri inquilini? vis unita fortior: at enim, dum singuli pugnant contra belluas, vincuntur universi. Solus Xaverius intactus: ità enim hæc inter mala, & malas bestias versabatur, ut Ille malis malus, non mala Illi mala viderentur. His igitur medelam malis facturus, advolat, & tigres facer, intérprésque DEORUM, cædibus, & fædò victu deterruit Xaverius. Sic nempe ad Gorgonei capitis aspectum homines obriguisset fabula est: ad Thaumaturgi nostri aspectum ferocissimas tigres tremuisse, verò verius est. Tam funesta supplicia avertit supplicationibus, & unò ore preces pariter fundit, & hostes, documento orbi relicto, virtuti omnia deberi, quæ eliminat, & illuminat.



# ECLOGA OCTAVA.

Daphnis, id est, Xaverius solâ aquâ  
Benedictâ fugat Tigrides ex Sanciano.

**V**isa fuit nuper rupisse silentia noctis  
Nuntia lucis avis, roseúmque aurora cubile,  
Purpureásque fores cœlo reserâsse sereno,  
Mox famulas ad pensa manus, suetósque labores  
Provocat, & curvo proscindi vomere glebam  
Præcipit immitis Pater, atque injusta noverca.  
Tityrus in virides armenta coëgerat agros,  
At Melibæus oves, tumidásque à lacte capellas  
Per campos errare sinit, sibi frigus, & umbram  
Annosam præbere jubet sub vertice montis  
Quercum : vix subiit Melibæi Tityrus ora :  
Tityre salve ! inquit Melibæus, salvus & hædus  
Esto tibi, & dux ipse gregis caper ; ocyùs unâ  
Fessa reclinemus Pastores membra sub ulmo.  
Garrulus hìc tenerâ prætendit arundine ripam  
Rivulus, & Nymphis arguto murmure carmen,  
Quod resonâ fundit sub valle cicuta, recenset.  
Jámque audent ambo molli consistere clivo,  
Ambo ætate pares, ambo cantare parati,  
Alternis cupiunt contendere versibus ambo.  
Nec tentare levi formidat arundine laurum  
Tityrus, & veteres laudes, partósque triumphos,  
Quos referunt domito Sampsona tulisse leone,  
Emeritâ cantat buxo : neque cedere gnarus  
Jessæi vatis pugnam, atque immane leonis,

Quod



Quod victor celsâ spoliū suspendit ab ulmo,  
Tentat inassvetis alter celebrare cicutis.  
Tityrus hos versus, Melibæus fuderat illos.

Comp.

*Carolus S. R. I. C. in Hardegg.*

*Tityr.* Pastores hederâ victoris cingite crines.  
Ausus erat Sampson fulvo concurrere monstro,  
Quod Libya, aut patriis aluit Getulia campis.  
Sæpius extremos fera consurgebat in unguis,  
Et totâ jam mole premit victricia colla.  
At fera succubuit, dextræ fera cessit inermi.

*Melib.* Pan nemorum Præses, sylvestria Numina  
Nymphæ,

Plaudite! Jesseo Pastores plaudite vati!  
Stravit humi victor fulvam cervice lænam,  
Hirsutâque jubis; Pœnorum qualis in arvis  
Infremit, aut Libycis, Massylisque errat in agris.  
Prata madent, tumidôque à sanguine terra rubescit.

*Tityr.* Non jaculum, non ensis erat, quem victor in  
hostem

Stringeret, haud nudum pectus muniverat umbo;  
Unguibus, atque jubis armatæ gaudet inermis  
Bella movere feræ, pectûsque offerre periculis.  
Ast fovet intrepidam tanto in discrimine mentem  
Stans fidente gradu, firmisque itâ nexibus urget  
Ille lacertorum nemoris, rurisque pavorem,  
Ut violenter humo nimio jam pondere pressum  
Affigat, guttûrque feræ, faucésque prehenas

Dilaniet : fugat immiti de corpore vitam,  
 Et corvis prædam esse jubet deforme cadaver.  
*Melibæus.* Ingentes animos vates Jesseus alebat  
 Corpore sub modico : Lybico nil territus hoste  
 In pugnam vires acuit, licet arma ministret  
 Nulla manus ; fuerat sed mens ut ahenea moles.  
 Jam ruit ; atque omni collecto robore mentis  
 Getulam petit ille feram ; neque dextra morata  
 Involat, elidens geminas de gutture fauces.  
 Indignata fugit tumido de corpore vita,  
 Rugit & immensum moriens, mox sanguine tetro  
 Prata, velut tristi livent afflata veneno.

*Tityr.* In plausus animabo meam Melibæe cicutam,  
 In numeros salient agni, crispique bidentes,  
 Lætisonoque choro fessi ad præsepia current.  
 Prædo jacet pecoris forti à Sampsonè peremptus.  
 Jam licet innocuum nullo custode per agros  
 Ire gregem, campos, sylvasque errare per altas.

*Melibæus.* Hæc quoque dulce dabit Melibæi fistula  
 carmen ;

Id nostri excipient arrectis auribus hædi,  
 Et Nymphæ accurrent, & capripedes sylvani,  
 Ipsa canet resonis illud clangoribus Echo,  
 Davidem tollent cumulati ad sidera plausus :  
 Utque in Castalio fervebant orgia monte,  
 Cùm Clarias domito Pythone rediret in arces  
 Delius ; haud aliter nobis celebrabere David,  
 Jam pes iste salit multos festinus in orbes.

Comp.

*Antonius Perl.*

Audierat ferri per inania carmen Amyntas,  
 Lascivire agnos campis, oviúmque Magistros  
 Viderat, & lætas jactari ad sidera voces;  
 Imò etiam rigidas inflecti carmine cautes,  
 Murmure jucundo per gramina currere rivos,  
 Alitibus resonare nemus, corylósque cicadis  
 Perstreperere, ancipiti jam dudum mente notabat.  
 Dúmque parant illi fors plausibus addere plausus,  
 Jam jam altercantes ad proxima jurgia tendunt,  
 Sampsonem is, Davidem alter tollebat ad astra,  
 Quisque suum celebrans majori donat honore.  
 Ilicis innixus ramo spectabat Amyntas  
 Jurgia, mox digito tranquilla silentia mandans,  
 His dictis animos ferit, & componit utrumque.  
 O pueri! cedit David, multúmque recedat  
 Sampson, námque unus Daphnis supereminet omnes.  
 Non ità ceratâ Pan cedit arundine Phœbo,  
 Palladi Mœonia haud tantùm cedebat Arachne,  
 Quantum isti nostro, me judice, Daphnidi cedant.  
 Est locus Eois multùm celebratus in oris,  
 Cui fanciani nomen tribuisse vetostas  
 Creditur; ille frequens algis, & fonte perenni  
 Rus alit, armentis lætissima pascua præbens.  
 Incustoditas passim hìc per prata capellas  
 Lactabat Cythisus; primæ lanuginis agnis  
 Pabula læta thymus, viridísque ferebat hibiscus.  
 Has populis invidit opes, tenerásque colonis  
 Delicias, cursu sylvas, saltúsque peragrans,  
 Hircanis oriunda jugis, & divite pollens  
 Progenie tigris, maculæ cui mille pererrant



Virgatam pellem : spoliis neque semper opimis  
 Illa satur, postremam ovibus minitata ruinam,  
 Ingenti patulos grassatur cæde per agros.  
 Hanc tamen æterno memoratis damnat ab oris  
 Exilio Daphnis : non ullis fultus ab armis,  
 Divini laticis solùm munitus ab undis,  
 Extirpat crudele genus, sobolémque cruentam ;  
 Amplius haud illis modò Caspia pignora terris  
 Dente furunt nocuo. Nec cedat Daphnidi Samson?  
 Nec velit huic David partam submittere laurum ?  
*Tityrus.* Cedit ei domito licet usque leone superbus  
 Samson, & defert victori Daphnidi primas.  
 Sæpe quidem tumulo calathis mea dextera largis  
 Florida dona tulit, solata hoc munere claras  
 Hebræi Ducis exuvias : modò divite cornu  
 Nectam ferta, pluam ruris tibi munera Daphnis,  
*Melibæus.* Non ultrà mea Davidem cantabit avena,  
 Urso prostrato celebrem, fusóque leone ;  
 Daphnida victorem memori vulgabo camæna.  
 Hæc Melibææ, ast illa canebas Tityre vota,  
 Tu tenui nixus fago, molli alter acantho,  
 At votis socium junxit modulamen Amyntas.

Comp.

*Franciscus Haueisen.*



**D**icite io! pæan, & io! bis dicite pæan Nabathææ  
 Regna Xaverio! posuit fines vestros pacem Sanctior ille Daphnais, qui, cum pax, & quies esset nullibi, ut quieta essent omnia, irrequietus laboravit. In amænis animarum pascuis factus Pastor bonus, bonis avibus agrum Ecclesiæ provehens, Lauros, & oleas pari felicitate demesuit. Sparsit sanctitatis ubique Semina; & totam illicè Indiam fecit Sanctam: populos innumeros è caula Tartari ad coeli aulam, ex Brachmanum, & Bonziorum haris ad veri sacrificii aras perduxit. Auctis dein sanctissimæ Religionis limitibus, quòd morum suavitate, & innocentia aurum æquaret ipsum, morum, & innocentie pretium auxit, atque ità Orientem verè aureum reddidit: hac duce effecit, ut, quotquot obduratos in Silicem, aut liparâ concretos reperisset animos, charitatis in DEUM flammis eliquaret. Ani-  
 marum

marum Imperator à cœlo electus, summum Imperium in corda habuit, & in Principes Principatum exercuit; hominum æquè, ac affectuum Dominus amabat, & amabatur, cor erat omnium, & omnium in Illo corde residebant. Tam gloriosa messis laborum poterat aliis satis videri ampla, non aliis majori Xaverio: quærenda est virtutis occasio, si ad manum non fuerit. Nova Regna, & orbem immensò tantùm non animò meditatur, uno ponens in lucro lucrari animas. Tot maria, & terrarum spatia emensus, suâ demùm amplitudine vastissimum Sinæ Regnum concupiscit Vir desideriorum. Nempe tam avida est suffragante Romano Philosopho periculi virtus, ut quò tendat, non quid passura sit, cogitet: explorant ad-versa viros. Magna mens, quam nihil occupavit, nisi DEUS, non videt obices: labores pro deliciis accipit, cui unus ad quælibet audenda stimulus gloria Numinis. Non terrere possunt pericula; omnia enim in Xaverio secunda, cui prima de DEO cura. Amor, quas non invenit, vias sibi sternit, Peligno Vate attestante: fortiùs ille potest, multò qui pugnat amore. Apparatus Xaverio ad tam præclara facinora non alius fuit, quàm pietas, sanctus-que timor Numinis, quæ magnarum victoriarum auspices sunt. Hæc opera, atque hæc sunt generosi Xavier artes, quæ mundum DEO lucratus est. Quid ad hoc ardens Pastorum turba? tacet; quia amor Daphnidis loquitur: Lateo, non minuor.





## ECLOGA NONA.

Dum Pastores suos enarrant amores,  
Daphnis penetrandi Sinensis regni deside-  
rium pandit.

*Damon, Lycidas, Corydon, Daphnis.*

*Damon.* **Q**uò te Daphni pedes? per inhospita  
tecta vagari,

Caucaseos penetrare sinus, ignota subire  
Antra cupis? tacitum versas sub corde dolorem,  
Aut potiùs tacito pectus versatur amore.  
Huc, age, quâ viridis se tollit fagus in altum,  
Tende gradu, jucunda favet cantantibus umbra.  
Juniperi vestigat ovis, petit ilicis umbram,  
Scrutatúrque nemus, præbent ubi frigora rami;  
Lanquida quidni umbras Pastorum turba requirat?  
Annuat, & patulæ se condit tegmine fagi,  
Dúmque levi gestit modulari Daphnis avenâ,  
Imparibus Corydon ardet cantare cicutis.

*Corydon.* Quid lætas inter Dryades, viridémque Dianæ  
Scenam, quid gelidas vestigo sedulus umbras?  
Umbris mille rotat mentem formosus Alexis,  
Sole sub ardenti quoties mea pectora versat.

Umbra quidem tenuis, sed dulcis Alexis imago?  
*Lycidas.* Non urit me cura minor, non ipsa dolori  
Officiosa meo charas Amaryllidis umbras,  
Ignotásque refert infensæ Amaryllidis iras.

Comp.

*Josephus Altschaffer.*

*Damon.* Me Galatea petit, fugit & Galatea sequentem,  
 Ferre superba frequens fastidia cogit amantem.  
 Vix Damon propinat ave ; Galatea reponit  
 Triste vale ; dum cedo, vocat ; fugit illa sequentem ;  
 Ludit, & illudit ; favet, & mox torquet amores.  
*Corydon.* Incipe, sed querulâ Corydon modulare  
 camænâ :

Pingua rura tenet, densis obsessa salictis  
 Dulce pecus ; tondent Cythisum, mea cura, bidentes ;  
 Astra favent nautis ; ditant sata læta colonos ;  
 Formosus solum mea vota moratur Alexis.

*Lycidas.* Incipe funestas evolvere gutture voces,  
 Tristes Musa sonos ; vocalis planctibus Echo  
 Adgemat ; & ducens imò suspiria corde  
 Avia sæpe tuis impleto saxa querelis.

Insuper & memori longos describe dolores  
 Cortice : dum crescet sublimi vertice taxus,  
 Immitis pariter crescent monumenta doloris,  
 Et serò planget spretos Amaryllis amores.

*Damon.* Incipe luctisonos mea fundere tibia versus,  
 Et teneri balent nostris in ovilibus agni,  
 Dum nostros Galatea sinus, speratâque stringat  
 Brachia, frustratos toties dum captet amores.

*Corydon.* Cereæ pruna feret, mitissima poma fidelis  
 Dextra pluet, primæ referet lanuginis agnum,  
 In mea festinus si vota inclinet Alexis.

*Lycidas.* Primitias Amarylli feres, quas fundit Hy-  
 mettus,

Quos fovet Hybla favos ; lecto de flore coronam,  
 Et Thymbram, & violas, & permixtas amarantho

Pæstanas Amarylli rosas, mollésque Hyacinthos,  
 Dulcia cum calathis carpes munuscula veris,  
 Ni Lycidam temnas, & florida dona recuses.  
*Damon.* Spem gregis, & teneras, solatia prima, capellas,  
 Sæpius irriguis lotas in fontibus agnas,  
 Delicias Domini, quarum mulctralia spumant  
 Lacte, feram pronus Galatææ munera nostræ,  
 Si modò respiciat blando pia munera vultu.

Gomp.

*Franciscus S. R. I. C. à Liechtenberg.*

Andierat, pressis que labrisolvebat apud se  
 Plurima, cum subito velut imo è pectore ducto  
 Suspirans gemitu sua Daphnis solverat ora:  
 Dicite: quæ sylvis Dryades habitatis opacis,  
 Najadésque Deæ, errantes per prata Napææ,  
 Conscia longævi vos Numina testor amoris,  
 O quantum Sinarum ardet mens nostra salutem!  
 Illa per Eoas famâ celeberrima terras  
 Mentem Sina rapit; poterat Jove digna videri  
 Patria: vix limis hanc quisquam adspexit ocellis,  
 Incaluit. Mea Sina inter pulcherrima terras,  
 Pastorum communis amor, multisque petita,  
 O! nostros quid dura nimis frustraris amores?  
 Stat pelagi similis scopulo, quem ventus, & unda  
 Verberat incassum; votis adversa repugnat,  
 Et dudum optatis amplexibus arcet amantem.  
 Abstrahit, ardentes inter prostratus arenas  
 Semper in expleto dilectam lumine Sinam



Insequor: at quanquam ferar huc, ferar anxius illuc,  
Non potior, quam semper amo. Quis sæviùs unquam?

Pastorum forsàn crudeliùs alter amavit?

Sina patet, quid namque negem? nec separat ingens,

Invisúmque fretum, non firmis mænia claustris

Opratis multùm prohibent succedere terris.

Exiguâ prohibemur aquâ, & quod amantibus obstat,

Est minimum: quæ disparibus mihi surgit arenis

Fistula, quæ poterat supremum in vota Tonantem

Cogere, non flectit Sinam; fugit illa vocantem.

Attamen urit amor; quæ me fugit, insequor illam,

Spésque pudet vano toties donâsse labori.

Non rigui pratis fontes, non murmura rivi,

Non curas lenire valent solatia ruris;

Sed rigui pratis fontes, sed murmura rivi,

Sunt curis invisâ meis solatia ruris.

Immodicum Daphnis mulcebat carmine luctum,

Et crebri gemitus imâ sub valle sonabant.

Flumina flere putes, querulo per prata susurrò

Reptabant latices, pecus omne cupidine languet,

Et Sinam trepido balatu armenta requirunt.

At studiis conjuncta cohors solatur amantem

Daphnida, deïn socias tollunt ad sidera voces,

Astra ferit clamor: quot sunt in amore dolores!

Comp.


*Carolus Moreiz.*

Hic



**H**ic tibi jam altiùs nitendum est calame ! per tot præ-  
 digiorum sublimes dotes, virtutumque decora elucta-  
 tus, ad **Xaveriani** honoris, gloriæque apicem niteris. Ul-  
 timum, imò supremum restat opus, ex quo Apostolicis la-  
 boribus suum esto non plùs ultrà. Innumeris ergò Lau-  
 reatis triumphis, cum crescere in terris ampliùs non potest,  
 decrescit in cælum **Xaverius**, ex Sinensium portu ad mon-  
 tem Sion translatus. De terra in cælum crescere di-  
 gnus erat. Non tamen est, ut luctum induas, aut in La-  
 crymas colliquescas, orbis Christiane ! Magno orbis com-  
 modo natus, eidem tandem majori denascitur **Xaverius** ;  
 occumbit in carne, ut ipso ex occasu illustrior Phœbus toti  
 orbi oriatur. Num lacrymas exprimat in cælis, qui nullas

expressit in terris? Has igitur absterge ab oculis, & cupressum in Laurum, tumbam in tubam, Epicedion in Epinicion converte, ae pro lessò pæana accine immortalẽ Divo immortalitatis Laureã donato. Mortuus enim adhuc vivit, dum è vivis ad vivos discessit: Solis planè æmulus, qui nunquam occidit, quin rursus oriatur; mergitur, ut emergat; obscuratur, ut luceat; moritur, ut revivifcat. Igitur non tam obiit, quàm abiit magnus mundi oculus mortalium ex oculis, ut ortus in cœlo viveret in animis; neque aliter, ut omnium oculis furripi posset, suos claudere voluit, quàm ut liberaliùs illos aperiret; dum orphanos, & pupillos, id est, clientes suos, etiamnum ut pupillam oculi diligit. Nimirum tantus ille Tuus est, ô Xaveri! mortalibus benefaciendi ardor, ut non vivus duntaxat, sed & mortuus prodesse velis: tanta mortalium quoque Tibi, ô Magne Apostole! rependendi studia, ut Tu illorum nunquam animis moriaris; nam semper honos, nomènque tuum, Laudésque manebunt altè cordibus nostris inscriptæ. Ex animis non abiit nostris Xaverius, imò nec ex terris, quas Sanctuarii sui scripsit hæredes, opes pretiosissimas in Brachio, sanctissimisque Reliquiis donans, ut inopibus se nunquam suã deesse ope ostenderet. Gratiarum beneficentissimè impensarum tot oculati sunt testes, quot miseros, & afflictos indies admittit, ut felices dimittat. Vivit ergo in splendoribus Sanctõrum sublimatus in cœlum Xaverius; dum cœlo datur, quod demitur orbi.





# ECLOGA DECIMA.

Luctus ob Daphnidis mortem in  
gaudium versus.

*Lycidas, Tityrus, Thyrsis, Palæmon,  
Mopsus, Corydon.*

*Lycidas.* **H**Aud Lycidæ mens est lætas animare  
camænas;

In gemitus potius, pluvioli luminis undas  
Sentio corda rapi: quid denique lentus in arvis  
Stertis, nec largos profundunt lumina rivos  
Tityre? materiem non cernis Thyrsi dolorum?

*Tityrus.* Ô Lycida! quid triste gemis? dic, & mihi  
luctum

Fare tuum! scis, pressa paret quam flamma ruinam.  
Nunc ergo tacitum nobis expone dolorem.

*Lyc.* Occubuit Daphnis, mea lux, mea vita, meum cor!  
Namque ubi Sinarum festinat captus amore,  
Atque ovium cumulare gregem, per rura vagantes,  
Errantésque sacro sociare laborat ovili,  
Immoritur pulchris Pastorum gloria curis.

*Thyrsis.* Flebile quid memoras? ereptum Daphnida  
plangis?

Ille meus Daphnis, qui ovium tot millia sacris  
Tinxit aquis, puro rutilant quot in æthere stellæ,  
Quot sunt ligna solo, vitreo quos lambit arenas  
Ore salum, conduntque melos per inane volucres;  
Ille jacet? surdi proh inclementia fati!

*Palæmon.* Pan nemorum Præses, Sylvestria Numina  
Fauni, Di.

Dicite vos Dryades, num vestros nulla per hortos  
 Herba viret, quæ vitales revocare sub auras,  
 Quæ gelidis animam queat inspirare medullis?  
 Effoetâ quoties redimit pro pelle juventam  
 Anguis? vim quoties Libitinæ saucius arcet  
 Cervus, dictamno facilem præbente medelam?  
 Nullanè vis animet fatali mersa sopore  
 Membra, nec ulla diem jam fracto accendere vultu  
 Dextra queat? num nulla arvis viret herba salutis?  
*Tityrus.* Vidi ipse, præfaga necem sensisse vireta:  
 Non virides tellure comas, non frondea fagi  
 Brachia tollebant, tincti ferrugine flores,  
 Pallentes gemuère rosæ, mollisque ligustra  
 Orba nive; & luctûs serpebant lilia testes  
 Argento viduata suo. Nec squallida solùm  
 Rura tenet facies, resonant nemora omnia planctu,  
 Ipsa Echo cœpit tum flebilè singultire.

Comp.

*Carolus de Maderna.*

*Thyrsis.* Conscia tam subiti fuerant armenta doloris.  
 Jejuna hærebant ad pascua læta capellæ,  
 Flaccida non multo tumuerunt ubera lacte.  
 Haud aluit tum lana nives; non ulla virentes  
 Per campos saliebat ovis, sed murmure tristi  
 Ingemuère omnes, tua funera Daphni dolentes.  
*Palamon.* Ipsi etiam fontes, ea rivi fata gemebant,  
 Garrula non querulo delapsa est unda susurro,  
 Augerique suos offensa ad saxa dolores

In-

Indoluit : mutas non ulla animâsse volucris  
 Visa fuit rupes, nec surdas aura volatu  
 Perstrepuisse plagas ; haud Titan nube carebat,  
 Nec solitas sparsère faces radiantia cœli  
 Lumina ; furvus erat mœroris prodromus æther,  
*Lyc.* Fundite Pastores, sed flebile fundite carmen !  
 Quem rupes, & saxa gemunt, cui prodigus amnis  
 Despumat lacrymas, quem florida pignora terræ  
 Ereptum plangunt, atque omnia fronde reclini  
 Flent arbusta, polúsque atro deplorat amictu,  
 Illi nostra pluant cummulatos lumina rivos.  
*Tityr.* Dicite Pastores, sed flebile dicite carmen !  
 Ruris amor Daphnis Libitinæ victima cessit,  
 Tristis aper viti, lupus agnis, flammâque tectis,  
 Grando agris, subitus maturis nimbus aristas,  
 Sæva lues pecori : nobis tua funera Daphnis !

Comp.

*Antonius Ehrlacher.*

*Thyr.* Condite Pastores, sed flebile condite carmen !  
 Exanimis mea vita jacet, mea Daphni voluptas.  
 O ! ubi dulce pecus præsepia tuta requiret,  
 Cùm rapiant ipsos immania fata Magistros ?  
*Palam.* Promite Pastores, sed flebile promite carmen !  
 Non jam consuetos referat mea tibia cantus,  
 Nec sua compositis moduletur gaudia cannis,  
 Sed lugubrè sonet : lauri pro fronde cupressus  
 Jungat inornatos funesto syrmate crines,  
 Phœbe ! reconde jubar, rosei cùm lumina vultûs

Clau-



Clauserit æternâ mortis lex ferrea nocte.  
 Incultus, gelidûsque veni! velut ossa per undas  
 Nati sparsa tui, & deformia busta gemebas.  
*Lyc.* Ite domum mœstæ, miserum pecus, ite capellæ!  
 Non dulces violas, non lilia proterat ulla,  
 Purpureâsque rosas; tragicus sibi vendicat illas  
 Ruris opes tumulus: gemmanti parcite viti,  
 Quam Daphnis coluit, vel quam sudore rigavit.  
 Vos teneat luctus, vestro nemus omne ululatu,  
 Balatûque sonet, dulcem plorate Magistrum.  
*Tityr.* Carmen ego patulis incidam flebile fagis,  
 Ut crescant nostri trunco crescente dolores,  
 Luctu crescat amor. - - - -  
*Thyrs.* - - - - Postremos Thyrsis honores  
 Dilecto cineri viridanti in cespite ponam,  
 Internam tumulo ferrugineos hyacinthos,  
 Et suprema illo persolvam munera flore.  
*Ralamon.* Avia rura petam, nemora in deserta rece-  
 dam,  
 Ora rigans lacrymis tenui cum murmure dicam:  
 Supremum mi Daphni vale! mi Daphni valetto!

Comp.

*Paulus Herdegens.*

Fervebant gemitus, cùm læto nuntius ore  
 Advolat, & fletum Corydon in gaudia vertit.  
 Ter, ait exultans, renovârat cornua Phœbe,  
 Daphnidis exuvias cùm vivâ calce sepultas  
 Condit terra sinu, viget inviolata superstes

For.

Forma genis, frontique decor, vultusque renidet  
 Conspicuis radiis, & multâ luce coruscus.  
 Non luctu modò Daphnis eget, non funera planctu  
 Postulat efferri cœli sublimis in arce.

Mox lacrymas tenuère suas, & carmine læto  
 Daphnidi supremum juncti accinuère triumphum.  
*Thyrsis.* Incipe nunc hilares mea tibia promere versus;  
 Daphnidi gratamur fausto; namque æmula genti  
 Gaudia dispensat, carpunt hæc gaudia Musæ,  
 In numeros saliant, fervent plena orgia campis,  
 Attonito sonat axe melos: mea tibia plausus  
 Ingemina pariles, aderit Pan ipse canenti.  
*Palamon.* Incipe facundos mea tibia dicere versus,  
 Plaudentúmque choro memorem tu junge camæ-  
 nam.

Pastores varii cantant Amaryllidis ignes,  
 Phyllidis ast alius tacitos delibat amores,  
 Fors aliquis tenerum cantu demulcet Alexim;  
 Tu solus nostro Daphnis celebrabere versu.  
*Lycidas.* Incipe festivos mea tibia condere versus,  
 Flores quærit apis, galidum fera saucia fontem,  
 Et Cythisum vestigat ovis, ventósque secundos  
 Ardua suspirat pinus, vernásque volucris  
 Delicias, fossor scrutatur pallidus aurum.  
 Ast Lycidas cupidè poscit sua gaudia Daphnin,  
 Quo felice gravem detergo pectore luctum,  
 Pésque salit noster multos festinus in orbes.  
*Tityr.* Incipe dulcisonos mea tibia pangere versus.  
 Est pretiosa gravi pendens in palmitè gemma,  
 Qua steriles herbas ditat ros depluus undâ,

Et quos dives opum thesauros area verrit;  
 Quæ ganges fert dona sinu, quæ congerit alvêo  
 Tempestas pretiosa Tagi, Pretiosior his es  
 Gemma mihi Daphnis; tu nostram divite cornu  
 Pauperiem relevas, trepidis ubi redderis agnis.

*Mopsus.* Desine luctifonas mea tibia nectere cannas,  
 Undique vota sonant, lætus ferit æthera clangor,  
 Daphnida gens omnis suavi modulatur avenâ,  
 Ipsa canit Daphnin resonis clangoribus Echo:  
 O liceat pariles mihi plausibus addere plausus,  
 Gaudia Pastorum dignis celebrare camænis!

*Corydon.* Ite domum læti, sylvestris turba, coloni,  
 Cogite quisque pecus stabulis, numerúmque referte  
 Hædorum, his etenim (scio) vestra mapalia turgent.  
 Nec veteres lacrymas obliterati, sive querelas,  
 Dicite: quàm dulces hi sunt in amore dolores!

Comp.

*Joannes Tallman.*

Profam ante singulas Eclogas

Comp.

*Georgius Josephus Napertb.*





NOMINA  
OFFERENTIUM ORDINE  
ALPHABETICO  
COMITES, ET BARONES.

**C**arolus S. R. I. C. in Hardegg.  
Franciscus S. R. I. C. de Liechtenberg.  
Josephus Leopoldus S. R. I. C. Cozzoli.  
Petrus S. R. I. C. Coronini.  
Antonius Josephus L. B. de Graan.  
Josephus L. B. de Zwenkau.

*Perillustrres.*

Christophorus Hieronymus de Braitten-  
buch.  
Ernestus Joannes de Crollolanza S. R. I. &  
Hungariæ Eques, Illustrissimæ Kirch-  
bergianæ foundationis Alumnus.  
Ignatius Josephus Nobilis Dominus de  
Richtern S. R. I. Eques.  
Joannes Carolus de Maderna.  
Josephus Paulus Nobilis de Herdegen,  
Culm, & Grundlag S. R. I. & Hungariæ  
Eques.

Leopoldus Nobilis Dominus de Schickh  
S. R. I. & Hungariæ Eques.

*Prænobiles, & Nobiles.*

Antonius Ehrlacher.  
Antonius Leopoldus Perl.  
Franciscus Adamus Stierpöth.  
Franciscus Haueisen.  
Franciscus Josephus Sachers.  
Franciscus Josephus Schinnagl.  
Franciscus Rudolphus Würth.  
Georgius Josephus Naperth.  
Ignatius Hoffmann.  
Joannes Georgius Reiffenstein.  
Josephus Antonius Pranz.  
Josephus Ferdinandus Perl.  
Josephus Franciscus Knol.  
Josephus Georgius Altschaffer.

O. A. M. D. G.







